



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLXIII. Invocatur SS. Crux pro gratia finali, & totum opus
concluditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CLXIII. ET FINALIS.

Invocatur SS. Crux pro gratia Finali &
totum opus concluditur.

Ne projicias me à facie tua. Psal. 50.

I.

- D**ives Epulo rogavit Patrem Abrahamum, ut mitteret Lazarum, qui extremum digiti aquæ intingeret, & linguam suam aridam & siccam refrigeraret. Qualis hæc est petitio? quid prodest unica guttula ignitis faucibus? Cur non totum digitum aquæ intinctum, aut volam manûs aquâ plenam postulat?
- Lue, 16. 24.** **Raulin, serm. 54, quadr.** **Psal. 50.** **1. Reg. 17. 8.** **Titelmann, apud Mich. de Calvo conc. 38. §. 1. n. 12.** **Eccl. 4. 10.**
- mysterium latet! Audiamus Doctissimum Raulinum: per extremum digiti intelligitur gratia finalis, ait: habet digitus tres articulos, primus significat gratiam prævenientem, secundus continuantem, tertius finalem. Felicem se fore scivit Epulo, si hanc impetraret. Verum ô imprudens! invocasses extremum crucis, ibi suffixum Sanctissimum nomen Jesu, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Quod miserimus ille, & æternum infelix homo non impetravit, hoc submissè à te postulo, mi Jesu, extremum digiti, extremum crucis mihi confer, id est; gratiam tuam salvificam in ultimo mortis articulo. Ah! *ne projicias me à facie tua!*
2. Philistæus ille gigas viribus suis innixus provocavit virum unum ex Israelitis ad singulare certamen: *Eligite ex vobis virum & desinat ad singulare certamen.* Variæ sunt hujus loci expositiones à SS. Patribus allatæ, sed sumo unicam Titelmanni. Goliath dæmon est, inquit, hic ad singulare certamen nos solos provocat, quasi dicat: Venite sine Deo, sine Dei gratia, & ego indubitanter mihi victoriam promitto. Audiamus verba Titelmanni: *Nullus ex vobis animositate proterva inerat hoc certamen: non est enim qui ad hoc sufficiat, non enim timet nos solos adversarios noster, idcirco fidenter provocat ad singulare certamen.* Ita est! Ego protervis contra hanc provocationem! solus tibi non compareo infernalis adversarie, nam *væ soli quoniam si ceciderit, non habebit sublevantem se.* Etiam meum adiutorem invoco, hic me non derelinquet in ultima illa & periculosa

periculosa lucta. Quisquis autem non deseritur à gratia Jesu, ille non ^{Psal. 126,} confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta æternitatis.

3. Elias minas impiæ Jezabelis fugit, timens ac tremens ita despondit animum, ut sub arbore, sub cujus umbram se projecit, mori peteret: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Quid? An hic Vir est ^{3. Reg. 19:} prodigiosus Propheta potens opere & sermone, qui cataractas cœli clausit, & reclusit? *Ubi est illa constantia?* Quærit admirabundus Eucherius: *ubi libertas?* Nempe subintrat hic S. Gregorius, Dominus Deus ^{apud Barz. serm. 32.} voluit luculenter ei ostendere, quid Elias esset secundum se, & quid esset cum adiutorio divinæ gratiæ: *In illis virtutibus Elias, quid de Deo ac-* ^{S. Gregor. l. 19. Mor. cap. 5.} *ceperat; in istis infirmitatibus, quid de seipso poterat, agnoscebat.* Homo ex se ^{1. Petr. 5.} nihil valet, & solum cum adiutorio gratiæ fortis est. O infelicem illum, quem juratus noster hostis, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret,* in ultima hora sine gratiæ auxilio deprehendit!

4. Verum consulto egit Elias, quod æger & infirmus ac diuturno itinere fatigatus sub umbram arboris se projecit: Nam ibi lassus, ac viribus destitutus refrigerium, solamen, ac confortamentum recepit. Per hanc arborem Rupertus Abbas intelligit figuram SS. Crucis. En ^{Rupert. l. 5. cap. 10.} Crucifixe Salvator, sub umbra salutifera crucis tuæ posternor! Septuaginta annorum iter confeci, jam totus lassus sum, ac languidus: hebetantur oculi, orexis decrevit, cor palpitat, manus tremunt, pedes labascunt, vires franguntur, & prodromi mortis fores pulsant. Quid aliud exspecto nisi cibum fortium, cibum confortantem, ut *in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei.*

5. Sunamitis illa ad Elisæi pedes provoluta, eosdemque tenens, ac constringens magna fiducia ac spiritûs efficacia dicebat: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te!* Sicque in oratione perseverans filium redivivum recepit. Admiror fiduciam pauperculæ animulæ, sed dum admiror, doctissimus Speranza mei me officii admonet, inquiens: *Ita fidelis anima ad crucifixi pedes cum Sunamitide oret: Non dimittam te, nisi hanc mihi gratiam concesseris.* Obsequor monenti. En Crucifixe Jesu adgeniculor Sanctissimis pedibus tuis, hos stringo, & amplector, *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Non rogo vitam corporis, sed animæ: Salva me non propter me, sed propter te: Memento guttulæ illius sanguinæ, quam in Passione tua super hanc miseram & peccatricem animam effudisti: Ne intres in iudicium cum servo ^{Psal. 12. v. 2.} tuo, nequando in tui, ac mei confusionem, *dicat inimicus meus, pravalui adversus eum.*

6. Jam grates tibi rependo infinitas, infinite Deus, pro infinitis beneficiis per septuaginta annos mihi collatis: tu tot mihi præstitisti bene-

beneficia, quot momenta, utinam centuplicata, & millies augmenta in te possem refundere, Laudent te pro me fideles creaturæ tuæ, & omnium creaturarum, etiam irrationabilium corda in te rapiantur!

Pfal. 26. 13.

Laudet te tota cœlestis curia, cum qua per Sanctissima merita tua spero & credo videre bona Domini in terra viventium.

7. Doleo summè de omnibus malis, quæ per me patrata sunt, ea revoco, retracto, & abominor ex amore tui purissimo, & hos dolentis animi gemitus unio cum doloribus omnium verè pœnitentium. O utinam meo sanguine extergere possem, quæ mala commisi! gaudeo summè, siquid boni per me factum est, idque omne in te fundo, ô Bone Deus, qui auctor es, fons, & origo omnis boni: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Pfal. 113.

8. Denique hoc opus meum ultimum ad SS. Pedes tuos submississima Veneratione depono. Si benè de te scripsi, ô Crucifixe Amor mi, non aliam mercedem à te peto, nisi te; Si malè, ignosce misero, & memento infirmitatis meæ! cogitavi quidem ad ducentas considerationes ascendere, sed tu Domine arbiter vitæ, & mortis mihi præcipis: Manum de tabula? acquiesco igitur divinis tuis consiliis, & te vocantem in æternitatem sequor, *cupio dissolvi, & esse cum Christo, qui mihi meus sit vivendi, moriendi, & scribendi*

F I N I S.



APPEN.